

bet terreas; variat quoque ipsum Acidum ratione effectuum suorum ac virium.

Quid Alkali sit,
declaratur.

§. VI. Salis Alcalini nomine nobis venit non solum Substantia solubilis, lixivioso sapore lingvæ organon imprægnans, & cum acido edens conflictum (quod & Spiritus vini rectificatissimus, in quo nulla arte alcali reperire datur, cum spiritu nitri forti mixtus præstat) sed tale corpus, quod constat particulis ratione superficiei levibus, tenuibus, latis, & poris copiosissimis, in quibus subtilis ætherea delitescit materia, & ratione figuræ obtuse angulatis, & acuminatis, ut ex eo ad impetum acidi sustinendum aptum sit alcali.

Salis hujus effectus, eorumque rationes,

Ex hoc, quo gaudent Salia alcalina, contextu facile peti potest ratio, cur in resolvendis Sulphureis substantiis, quæ fere semper Sal acidum innexum toyent, tam egregia præstent: item, quare aeri humido, & libero exposita in facile abeant deliquium, & cum acido confusa tantum impetum & eructationem aëris concitent. Dum enim acida ceu graviora, & aëre plena, pressione quadam occupant alcalinorum poros, non possunt non particulæ æthereæ, in porulis latitantes, cum impetu propelli, quæ propulsæ in liquido talem impetuofum excitant motum, quem dicimus effervescentiam. Liquidissime porro ex dictis patet, cur alcalina infusa fluidis v. gr. Sangvini non solum majorem fluiditatem ac tenuitatem concilient, sed & colorem exaltent, adeoque in conservanda Sanitate ac profligandis morbis præsentissimam locent operam. Omne enim hoc præstat æther copiosus in pororum illorum interstitiis hærens, qui, uti omnium motuum naturalium, & omnis fluiditatis, sic horum

Et in primis quare fluiditatem & colorem purpureum concilient.

quo-